



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

V. Die Markgrafen Johann und Otto vereignen dem Kloster Lehnin verschiedene Dörfer und Seen, darunter Chorin und Parstein, mit dem Auftrage, auf der im See Parstein gelegenen größern Insel unter dem ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

V. Die Markgrafen Johann und Otto vereignen dem Kloster Lehnin verschiedene Dörfer und Seen, darunter Chorin und Parstein, mit dem Auftrage, auf der im See Parstein gelegenen größern Insel unter dem Namen Mariensee ein Cistercienser-Kloster zu gründen,
am 2. September 1258.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Johannes et Otto, Dei Gratia Marchiones Brandenburgenses, Omnibus in perpetuum. Cum vniuersalis Ecclesia a retroactis sanctorum patrum temporibus inter gradus ordinum, in quibus quam plurimi religionis nomen et habitum preferentes, sub regulari obedientia in timore sanctitate et iustitia Domino famulantur, Cisterciensem ordinem in vera ipsius ordinis obseruantia diuinitate propitia semper uberius habuerit commendatum, ob venerabilia ejusdem ordinis patrum merita et ob luculentia in eo euidentius opera caritatis, que hospitalitate continua et aliis humanitatis et uere compassionis erga proximos indicia ex ipsius institutionibus patrum ejusdem ordinis in prenotato ordine non quiescunt. Verum ne quod veritas imperat quodque ordinis institutio precipit et obseruat aliquo rei corruptibilis defectu ualeat impediri et sic opus caritatis maneat imperfectum, nos qui plus ceteris in hoc mundo accepisse cernimur ab auctore mundi ingratitude labe notati ne proinde grauius iudicemur, ipsum ordinem fratresque in eo existentes pro uiribus nobis a Deo collatis ampliare studebimus et fulcire, sperantes pro simplo, quod de accommodato nobis a domino tribuimus, mercede a domino centupla coronari. Quapropter notum esse volumus tam presentibus quam futuris cristi fidelibus uniuersis, quod nos diuino seruore succenti sancte recordationis predecessorum nostrorum, qui plerisque possessionum et rerum mundanarum donationibus et libertatibus inter alias ipsius ordinis domos, quibus caritatis pia subsidia sunt largiti, domum Leninensem magnificentius et honorificentius dotauerunt, piis uestigii inherentes, in remissionem nostrorum peccaminum et uite eterne obtentu, ad Dei omnipotentis et gloriosissime matris ejus honorem, de sincera uoluntate nostra omniumque heredum nostrorum uoluntario et legitimo accedente consensu, locum proprietatis nostre, Insulam uidelicet majorem, quam ambit stagnum Parsten cum ipso etiam integraliter stagno et insulis ceteris, insula tamen uille Sehufen excepta, collibus etiam et monticulis quos ipsum circuit stagnum, qui nec excoli possunt aratro nec adiri, ceterisque stagnis et paludibus ex ipso redundantibus dedimus et contulimus domino Abbati et fratribus de Lenin cum omni iuris integritate et utilitate, ad construendam in ipsa dicti Cisterciensis ordinis Abbatiam, quam uidelicet stagnum sancte Marie uirginis censuimus appellandam. Contulimus insuper ad necessaria hujus Abbatie uillas has Paliz, Plawe, Brodewin, Chorin cum hiis stagnis Rosin, Crummense, Brodewinschese, Wittense, Duuelse, Chorin majus et minus, cum montibus et insulis uniuersis in eisdem stagnis sitis. Predictae siquidem uille ducentos mansos in numero obtinebunt, quorum uidelicet termini incipient ab oriente a pino, qui diuidit terminos uillarum Parsten et Paliz deinde protenduntur ultra uiam, que ducit ad uillam Lipe ad mensuram unius iugeris et dimidii. Versus austrum usque ad pinum in uia, que de Oderberg ducit Rosin, et sic ab eadem pino usque ad magnam quercum, que diuidit terminos Oderberg et Paliz et allodium domini Boz. Item ab eadem quercu ad occidentem per quandam paludem usque ad uiam Lipensem et sic a dextra parte ultra eandem uiam Lipensem usque ad quercum signatam inter uillas Lipe et Paliz et sic ab ipsa quercu per directum usque ad aliam quercum positam in fine stagni Rosin. Deinde ab eadem arbore ad austrum per paludem usque ad montem cum pino supra stagnum Duuelse collocatum. Deinde trans ipsum stagnum

usque ad longum pratum, ipsum quoque totum pratum usque ad sepulchrum Slauorum situm in sinistra parte vie Vinowe. Item ab eodem sepulchro trans viam eandem usque ad quercum signatam in monte et de ipso monte per paludem quandam usque in stagnum Plawe que et Marchionem et claustrum diuidet et distinguit. Ipsum etiam stagnum integrum perlongum sub montibus usque ad locum, qui Santvord dicitur, et ab ipso loco iuxta lucum usque ad pinum ubi ville Chorin termini inchoantur. Ab eodem vero pino ante campum Chorin usque ad tres quercus in monte supra paruum stagnum Chorin infimul exortas et ab eisdem per directum usque ad pinum signatum inter villas Brizke, Chorin et Rogofene. Item ab eodem pino trans paludem usque ad quercum et sic per arbores signatas usque in riulum Lupaniz ad fagum quandam et ipsum riulum sursum infra terminos Goltiz et Chorin usque ad quandam alnum. Deinde per arbores signatas infra Buccolt et Chorin usque in lucum, qui fuit de paruo Seruetiz usque in paludem Chorin. Item ipsum lucum sursum ad aquilonem usque ad agros cultos terminorum ville Seruetiz et sic de eisdem agris cultis ad orientem usque ad magnam paludem, cujus pars media claustri et reliqua pars Seruetiz ville erit, et sic ab eadem palude usque ad distinctionem terminorum Brodeuin et Seruetiz. Deinde procedendo per eosdem terminos uersus orientem usque in stagnum Parften. Sunt preterea extra predictos terminos quadraginta octo mansi positi adhuc cum nobis et Dominis placuerit diuidendi, quorum medietas uersus aquilonarem partem claustri erit et nobis circa Rogofene pars altera remanebit. Quorum etiam mansorum ligna sub custodia claustri erunt, quousque diuidantur, et non facimus in parte nostra aliqua ligna succidi nisi per demonstrationem Dominorum, ne fiat ex succisione aliquod dampnum ipsis. Merica etiam infra Brodeuin et Rogofene sita dicti claustri gregibus et precoribus quoad pascua fructuosa et utilis esse debet, nec ab aliquo impediuntur in ipsa. Predicta liquidem omnia, Hospitale in Oderberch cum omnibus attinentiis, molendinum Rogofene, quod fuit Alexandri, et centum jugera prati in Creye cum omni utilitate, que nunc est et in futurum haberi poterit, uidelicet nemoribus, siluis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, stagnis, paludibus, fluminibus, riulis, molendinis, ferrifodinis ceterisque utilitatibus ex ipsis prouenientibus libera donatione memorato cenobio contulimus proprietatis titulo perpetuo possidenda. Sed et saline si que in dicte proprietatis fundo eruperint nostre erunt, de quibus tamen ordinabimus, quod ecclesie eedem sint indempnes. Ut autem predicti fratres Deo tranquillius et deuotius famulentur, volumus et ipsis ex speciali gratia indulgemus, ut possessiones ipsorum, quas nunc possident vel in futurum sunt ex nostra donatione magnifica possessuri, nostro nostrorumque successorum consensu accedente seu iusta emptione siue etiam ex donatione fidelium obtinuerint, libere sint et exemte ab omni Aduocacia et iudicio seculari, nec aliquis Aduocatorum nostrorum, Schultethorum, Bedellorum aliquam jurisdictionem sibi in eisdem audeat usurpare, sed ipsi fratres per se suosque iudices sua iudicia exerceant maiora etiam et minora. Sint etiam libera bona dictorum fratrum ab omni exactione et petitione et expeditione, que Herschild dicitur, a constructione castrorum seu pontium seu restauratione eorundem et a seruitio, quod Borchdienest dicitur. Gaudeant insuper et floreat eisdem libertatibus et priuilegiis, quibus Ordo Cisterciensis per uniuersum orbem florere dignoscitur et gaudere. Volumus etiam, ut sepedicti fratres in uniuerso nostro dominio a theloneorum pensione in his uidelicet, que ad necessaria indumentorum seu alimentorum ipsorum spectant, liberi sint penitus et exempti. Ut igitur hec pia nostra donatio sepedictis fratribus fiat quoad temporale subsidium fructuosa et ut futuris temporibus stabilis perseueret, presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, adhibitis testibus ydoneis, quos pro firmitate maiori suis duximus nominibus exprimendos. Venerabiles in Christo

patres Otto, Brandenburgensis, et Hermannus, Caminensis ecclesiarum Episcopi, Jacobus, prepositus de Zpandowe, Frater Conradus, prouincialis fratrum ordinis minorum, Frater Hermannus, Custos fratrum minorum de Brandeborch, Magister Albertus de Snetlinge, Custos ecclesie Stendalensis, Henricus de Osterren, plebanus de Berge, Henricus, pincerna de Zpandowe, holf, aduocatus de Zpandowe, Albero, Marscalcus de Stolp, Gerrardus de Valkenberch, Henricus de Thenis, Aduocatus de Bizdal, et alii quam plures. Datum Zpandowe, per manum Heidenrici, curie nostre Notarii, anno gratie M^o. CC^o. LVIII^o., Indictione prima, Concurrente primo, Epacta XIII, quarto Nonas Septembris.

Nach dem Original des Geh. Staats-Archives. Mit mehreren Auslassungen bei Gerden Cod. II, 400.

VI. Markgraf Johann verzeignet das Marien-Hospital, bei Oderberg in dem Dorfe Bardin gelegen, dem Kloster Mariensee, am 2. September 1258.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Johannes, dei gratia Marchio Brandenburgensis, omnibus in perpetuum. Cum ab ordinatore Deo sit omnis potestas ordinata, et nos, qui potentatu fungimur temporali, simus ipsius ministri in coercionem prauorum et in quietem et pacem Deo famulantium; Ad hoc ergo ex officio tenemur, ut contra molientes injurias nos murum opponamus et nos metipsi concesserit nobis potestatis terminos maxime contra loca sancta seu personas religionis nullatenus excedamus, immo ipsorum juri insistendo solertius insistamus. Ea propter uniuersis tam presentibus quam futuris notum esse volumus, quod nos Hospitale sancte Marie virginis, quod situm est prope Oderberg in loco, qui dicitur Bardin, cujus predia et possessiones actenus a suis prouisoribus in non utiles ac minus proficuos inibi degentium pauperum usus deuenere, de consensu nostri Germani, Marchionis Ottonis, simul et heredum nostrorum, cum omnibus possessionibus, quas tam nostri progenitores quam et nos et ceteri Christi fideles ipsi Hospitali in sustentationem pauperum languentium et peregrinorum contulerunt, tradidimus dilectis fratribus Stagni sancte Marie virginis, Ordinis Cisterciensis, cum prediis, decimis, vineis et ceteris usibus, quos ipsum Hospitale ab antiquis temporibus noscitur habuisse, titulo proprietatis perpetuo possidendum, quatenus infirmis ibidem decumbentibus valeant deuotius prouidere. Vt autem hanc nostram donationem nemo in posterum valeat infirmare, presentem paginam sigilli nostri appensione et testium subscriptione duximus roborandam. Testes autem donationis sunt hii Jacobus, prepositus Dominarum in Spandowe, Magister Gerbertus, Magister Albertus, Canonicus et Custos Steindalensis, Frater Thomas, Predicator de Struceberg, Henricus, pincerna in Spandowe, Arnoldus de Bredowe, Holf, Aduocatus, milites, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. LVIII^o., IV Non. Septembris. Datum in Spandoue, per manum Notarii nostri Heidenrici.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerden's Cod. II, 398.